

tivas debebat retinere qualitates, quàm in hepate, utpote quùm è corde ad renes brevior sit per arterias emulgentes via, longæ autem ambages ad hepar, quod maximam partem ex hypochondriis è venâ portæ, imò in ipsis renibus à serò superfluo liberatum sanguinem denuò accipit. Per tot ambages, per tot digestiones bilis transiens, ut in renibus omnem exuit amarorem, ita magis in hepate cò carere debebat. Qui hydrope laborant ex vitiò hepatis, ut ab eò lapidefactò, vomica vel gangrenâ affecto, quales historias supra citavimus, semper simul icterò laborare debebant, quippe quùm cribrum sanguinis, quod bili segregandæ à naturâ erat destinatum, sit corruptum, si, qui planè caruerunt hepate, ex vitiò nativo, continuò debuissent regio morbo affici, cez destituti officinâ separatoriâ. Omnino itaq; fidem meretur, bilem nondum in corde fuisse elaboratum; sed demum in hepate, coqui, perfici, & quoque isthic separari.

Existimamus autem rem ita se habere, nimirum tum cor, tum hepar innatò calore bilis generationem juvare; cor quidem particulas sanguinis tenuiores, in bilem alimentatè ita fermentò suò disponere, ut deinde in transcurso per hepar ulterius elaborari, in bilè vertere, & abire, & ibi secerni queat. Bilè perfectâ in corde non fuisse generatam, quæ deinde tantum transcolando in hepate secernenda sit, infallibili gustus subscriptione confirmatur. Serum sale imbutum, quod in renibus solum separatur, non concurrente novâ coctione, certè manifestè in sanguine emissò se prodit. Bilis itaq; si similiter actu esset in sanguine in corde confecto, extra omne dubium sui quoq; indicia præ se ferret.

IX. DIFFERENTIÆ BILIS non omittendæ. Vulgò autè bilem constituunt triplicem, *alimentosam*, quæ excrementum non est, sed massæ sanguineæ in corde generatæ pars calidior & siccior, quæ dulcis est, & sanguini mixta simul per totum corpus circulatur pro partium calidiorum nutrimento.

*Naturalem*, quæ & flava appellatur, generaturq; ex lege Naturæ in hepate è partibus recrementosis bilis alimentaris. Tenuior ejus pars cystide colligitur, crassior per porum choledochum communem statim ad intestina relegatur. *Præ*